# Badische Landesbibliothek Karlsruhe

## Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe


# Statuta Ruralis Capituli Linzgoviensis

**Marquard Rudolf <Konstanz, Bischof>**

**Constantiae, 1699**

Dedicatio ad sanctos angelos, [...]

urn:nbn:de:bsz:31-129236

Visual Library

# DEDICATIO

## Ad Sanctos Angelos, ſupremos Aulæ cœleſtis Miniſtros, Divinæ Majeſtatis Legatos ac ſingulares Ruralis Capituli Linzgovienſis Patronos.

*VEſtris ſub auſpiciis, O Angelici ſpiritus! è tenebris in lucem prode-*

unt Statuta noſtra, non alium in finem, quàm ut ea veluti debitum grati animi cenſum ad Hierarchiarum Veſtrarum thronos proniſsimo ac demiſiſsimo in Vos affectu deponamus. Quatuor propemodùm ad finem vergunt ſæculorum revolutiones, quibus Capitularem noſtrum diſtrictum ſub Veſtra ſingulari cuſtodia & ſolerti patrocinio foviſtis, eundemq́ tutelæ Veſtræ commiſſum non

ſolùm ab omni hæreticæ pravitatis labe purum, ac illibatum conſervâſtis, ſed præclariſsimos inſuper viros ſuppeditâſtis, qui totam Diœceſim Conſtantienſem tanquam Reverendiſsimi Suffraganei, Generales Vicarij, & Officiales, coruſcantibus virtutis, & doctrinæ radiis illuſtrârunt, prout hodie dum haud dubiè Veſtris Patrociniis gloriari poſſumus, quòd nobiliſsimum ac præſtantiſsi-

mum̄ Curiæ Epiſcopalis Conſtant. corpus ex Capituli noſtri commembris ac Confratribus ſit efformatum. Particularia eáque non modica àVobis accepta beneficia modò non attingimus, ſed velut in compendio palam & ingenuè profitemur, quòd, quidquid habetis in intellectu perſpicacitatis, in voluntate bonitatis, in viribus roboris totum impenderitis ad noſtrarum curæq; noſtræ Pa-

ſtorali

BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

ſtorali commiſſarum animarum ſalutem. Si quæ illuſtratio, reſplenduit in intellectu, ſi quis unquam fuit bonus ad virtutem in voluntate motus, ſi quæ Divina inſpiratio commovit mentem, ſi amoris Divini in corde flamma exarſit, ſi lucrum & converſio animarum, ſi quies in conſcientia, ſi exultatio in ſpiritu, hæc & plura alia agnoſcimus ſpecialia à Vobis in nos derivata benefi-

*cia. Similitudo amoris fomes & illicium eſt, hinc, O Illuminatiſsimi & puriſsimi Spiritus! quia ſimilitudinem nominis, officij & dignitatis in nobis agnoſcitis, Veſtro ſpeciali amore, & benevolentia nos dignos cenſetis. Nomen quod attinet, incomperto eſt, quòd Malachiæ 2. Angeli titulo decoretur Sacerdos:* labia Sacerdotis cuſtodiūt ſcientiam &c. quia Angelus Domini exercituum eſt.

*Pari*

*Pari honore inſignitur à DiVo Paulo* 1. *ad Cor.* 12. *ubi præcipit, ut mulier in Eccleſia habeat velamen ſuper caput ſuum* propter Angelos, *hoc eſt, ut SS.* PP. *explicant propter reverentiam Sacerdotum,* *qui tanquam* Angeli *miniſtrant in Eccleſia Dei, ne facie detecta illis occaſionem vanitatis, vel curioſitatis aut illicitæ concupiſcentiæ præbeat. Illuminatiſſimus ille Evangeliſta*

*Ioannes, Rectores Eccleſiarum Angelos vocat* : Angelo Eccleſiæ Epheſi ſcribe. *Apoc. c. 2. hoc eſt, illius rectori hæc ſignifica. Sacris Scripturæ paginis conſonant SS. PP. S. Ambroſius lib. de initiandis. c. 2. ita loquitur.* Sacerdos Angelus eſt, quia regnum Chriſti & vitam æternam annunciat, non ſpecie tibi æſtimãdus, ſed munere. *S. Hier. in c. 2. Mal. ita diſſerit* : Angelus id eſt DEI nuntius veriſſimè Sacerdos dicitur, quia Dei & hominũ ſequeſter eſt, ejusq; ad populũ nũtiat voluntatẽ.

*Muneris & officij ſimilitudinem ſi conſideremus, æ-*

*qualeVeſtrùm& noſtrûm in-*
*venietur miniſteriũ. Nonne*
*ô cœleſtęs Ephebi Angeli in-*
*dedicti, eò quòd animas curę*
*veſtræ commiſſas illuſtretis,*
*doceatis, dirigatis, & â ma-*
*lo retrahendo ad omne bo-*
*num promoveatis. Nuncij e-*
*ſtis & Legati Dei*, in mini-
ſterium miſſi propter eos ,
qui hæreditatem capiunt ſa-
lutis. *ad Hæbr. c. 1.* Angelo-
rum *quippe vocabulum teſte*
*S. Gregorio Papa hom. 34. in*
*Evang. nomen eſt officij, non*
*naturæ, hinc illi Spiritus, qui*
*mi-*

*minora uuntiant*, Angeli, *qui verò ſumma*, Archangeli *vocantur. An non hoc ipſum etiam munus eſt Sacerdotũ? Noſtrûm eſt annuntiare mandata Divina rudibus, oſtendere viam vitę erranti-bus, dirigere ambulantium pedes in viam pacis & feli-ciſſimę æternitatis, nobis ex officio incumbit cunctos ad o-mne bonum excitare, non tantùm verbo doctrinę ſed e-tiam exemplo piæ converſa-tionis & vitę. Nunc cum* Michaële Archangelo *Divi-næ gratię virtute roborati*

*contra*

*contra Luciferum ejusq; aſſeclas claſſicum canimus* : quis ut Deus? *quia teſte Apoſtolo* non eſt nobis colluctatio adverſùs carnem & ſanguinem, ſed adverſùs principes & poteſtates, adverſùs mundi rectores tenebrarum harum *ad Epheſ. 6. Modò cum* Gabriele, *qui* fortitudo Dei *interpretatur, cœlis, qui quaſi ære fuſi ſunt, Iob. 37. vim facimus, ac perrumpimus, & jam jam ad puniendum accinctum Deum ſuperamus, ac orationis efficaciâ inermem facimus. Concipi-*

*endum ac pariendum in anima per gratiam filium* Dei *hominibus annuntiamus. Cęcutientium cum Tobia peccatorum oculos veluti* medicina Dei *ac novi* Raphaëles *per officium curationis tangimus, & cæcitatis tenebras tergimus.*

*Vobiscum ô cœleſtes Principatûs, qui provincijs ac populis præpoſiti eſtis, participamus, dum & nobis totius Eccleſiæ cura incumbit, quandoquidem pro toto illius ſtatu & de illius ſpirituali propaga-*

*paga-*

*pagatione ſollicitos nos eſſe convenit. Orare debet Sacerdos, quemadmodum Principatus pro toto orbe & universa creatura, ne terra detur in ſterilitatem, aër in corruptionem, & alia Elementa ac aſtra in malignitatem & infectionem à malitia inhabitantium terram.*

Poteſtates *dicuntur illi Spiritus cœleſtes, ſecundùm Angelicum Doctorem, qui ſpecialiter ad aëreas nequitias ſpirituales arcendas præſunt, & ad id deſtinantur à*

*Deo*

*Deo:* Virtutes *autem Spiritus illi ſunt, ad quos pertinet executio prodigiorum & miraculorum Divinorum, & cum his Veſtris Angelicis* Choris *participamus Vobis obſtrictiſſimi clientes, quia cum* Poteſtatibus *ſuper nequitias ſpirituales poteſtas nobis communicata eſt ad arcendas & compeſcendas eas, ne aëri vel terrę aut Elementis, corporibusq́ humanis noceant.* Cum Virtutibus *in Executione prodigiorum non tantùm convenimus, ſed*

*quod-*

quodammodò vobis palmam pręripimus patrando quotidie prodigiorum ac miraculorum omnium maximum, dum virtute verborum à nobis prolatorum ſub minima albicantis panis ſpecie, & modici vini guttulis filium Dei pręſentem conſtituimus, veluti innovantes admirabile illud Myſterium Incarnationis Dei, & Hypoſtaticę unionis Divinę naturę cum humana, Moyſen, Aaronem, patrantes mirabilia in terra Ægypti, Ioſue ſolem

ſtare,

*ſtare, Iſaiam eundem ad decem gradus retrocedere facientes, aliosq́; mirandorum patratores, longè ſuperantes.*

Dominationes *dicuntur Angelici Spiritus, eô quòd liberi ab omni ſervili conditione rectiſſimè ordinent ea, quę ad Dei Gloriam augendam conducunt, habentq́; ſpecialem participationem Dominij Divini. Certè etiam in hoc vobiscum concordamus, dum videlicet ab omni ſervili conditione liberi velut*

lut reges & domini ſpeciali-
ter ſumus uncti & coronati,
quam coronam etiam capilli,
in formam coronę diſpoſiti &
reſecati deſignant, ut coro-
nę hujus memores omnes in-
ordinatos affectus rationis
Imperio ſubjugemus, & quę
ad gloriam Dei ſpectant, re-
ctè ac cum ſancto zelo ordi-
nemus.

Throni *dicuntur Angeli-
ci quidam Spiritus, quaſi De-
us in illis ſpecialiter reſideat,
& judicia exerceat. Planè
& hęc Excellentia nobis*

com-

*communis eſt, qui propter Deum nobis aſſiſtentem imò & in nobis ſpecialiter ſedentem ante diem judicij judicamus, quodque noſtro ſederit arbitrio in terris, ratum habeat Deus in cœlis, in judicio illo Sacramentali, in quo peccata vel dimittuntur, vel retinentur.*

Cherubim *dicuntur à plenitudine ſcientię & luminis Divini, quod aliis communicant. Eadem & functionis noſtræ obligatio eſt, ut nempe luceamus luce ſapien-*

*tiæ*

*tiæ & ſcientiæ veræ, ac alios quoque eâdem illuminemus, ut illuminati inſtar* Cherubim *traditâ Divinarum rerum notitiâ errorum tenebras, vitiorum caliginem eliminemus, ac cum* Seraphim *demum, qui ardentes & inflammati dicuntur igne cœleſti nos quoque flammas concipiamus ab illo,* qui ignis conſummens eſt, *Deutr. 4. & quem quotidie ſummimus, mens noſtra velut rubus ardens & incombuſtus jugiter inardeſcat. Cùm igitur* An-

gelos

gelos inter, ac Sacerdotes ſpecialis ſimilitudinis pręrogativa intercedat, hinc non miramur, quòd prędeceſſores noſtri non ſine Spiritûs ſancti inſtinctu Vos Ruralis Capituli Linzgovienſis Patronos elegerint, probè gnari Veſtrâ tutelâ ac indefeſſâ cuſtodiâ Paſtores cum ovibus ab infernalis lupi incurſu, ac omnibus corporis & animę periculis fore ſecuros. Noſtrûm eſt, ut repetitis zeloſiſſimis votis veſtram etiam impoſterum imploremus humiliter

præ-

prępotentem aſſiſtentiam, ut, dum Vobis nomine & officio aſſimilamur, Veſtram quoq; puritatem & perfectionem imitemur, & ſicut Vos ſemper intuemini faciem Patris, ita & nos continuò ambulemus in pręſentia Dei, illumq; mentis oculis contemplemur. O Angelici Spiritus, impetrate nobis veſtris interceſſionibus, ut ſicut adminiſtratorij Spiritus eſtis propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis, ſic & nos invigilemus curæ noſtræ commiſ-

*ſis, ut cuſtodes & in viam ſalutis directores, ut mediatores inter Deum & homines, ut conſtituti à Patre tutores & actores, ut* Cherub *illuminati & illuminantes, ut* Seraph, *accenſi & accendentes ita nomine & officio noſtro digni coram Divina Majeſtate dignè ſtemus, ac aliis ſancta ſanctè miniſtremus, & ſicuti Capituli noſtri inſignia* Angelum *referunt, ita eundem vivis coloribus* Angelica *vitę converſatione exprimere ſtudęamus, ut*

*tan-*

*tandem poſt hujus vitę mortalis curſum impleto noſtro miniſterio faciem Divinam non amplius velatam tegmine Sacramentali, ſed revelatam &glorioſam vobiscum contemplari valeamus in cœlis! ita vovent*

Obſtrictiſſimi, devotiſſimi Clientes

Decanus, Camerarius, Cæterique Capituli Linzgovienſis Confratres.